



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suaui Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt IX. Pontifex Lutheri causam Legato committit: & quid inter eos  
actum sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

1518. Hæ igitur, quantum possumus assequi coniecturâ non vanâ, 14  
 fuere causâ, cur Lutherus, in ludum fortuito ingressus, eâ in al-  
 ueolo dispositione repertâ, latrunculos in hanc formam promo-  
 uerit. Et quemadmodum ingens inde, tametsi damnosum lucrum  
 prouenit, ita longè maius forsitan reportasset, nisi geminum ob-  
 staculum offendisset. Alterum ex parte Dominantium, quippe qui  
 animaduenterant, idem esse à Romani Pontificis obedientia se  
 subducere, ac subditis exemplum præbere, quo se pariter ab ipso-  
 rum Principum obedientia subducerent: tum ex eo quòd cuius-  
 cumque Principis auctoritas in profanis haud nititur validioribus  
 firmamentis diuturnæ possessionis, existimationisq̃ communis,  
 quàm Romani Pontificis in rebus sacris. Quare dum alteram ipsi  
 concuterent, docuissent alios de altera dubitare; tum quòd eâ  
 persuasione sublatâ, quâ Monarchicum regimen à Christo insti-  
 tutum putatur, cum hoc (saltem inter Ecclesiastica) sit perfe-  
 ctissimum, multò sanè forius Monarchia depellitur à Dominatu  
 profano, in quo eam rationes minùs validæ suffulciunt.

Alter obex, qui Lutheri progressus retardauit, fuit ex parte po-  
 pulorum. Diffractâ siquidem vnitate Fidei, res in vnica sectione  
 contineri non potuit, sed necessariò ferè in infinita diffracta. Et  
 ratio in aperto est: nam sublatâ regulâ, vnica, certa, ac sensibus  
 manifesta credendi, sed constituto pro regula impulsu interno;  
 confestim necesse est, vt pullulent tot sectarum genera, quot ij  
 sunt, qui arrogantes sibi aliquam ingenij præstantiam, persuasum  
 habent, penes se esse clauem ad referendas arcanas cæli notas in Sa-  
 cris Paginis exaratas. Profectò ablatâ per tam multiplicem par-  
 tium diuisionem cuiuscumque sectæ vnitate, aufertur concordia ac  
 firmitas, adeoque vis & veneratio. At verò Catholica Ecclesia  
 regulam supra memoratam retinendo, arque ita concordiam & fir-  
 mitatem, semper venerabilis præpotensq̃ perdurat.

## C A P V T IX.

*Pontifex Lutheri causam Legato committit: & quid  
 inter eos actum sit.*

**H**Aud grauatè Pontifex annuit Frederici precibus de commit-  
 tenda Lutheri causâ in Germania, quando præsentia ibi Le-  
 gati opportunitatem suppeditabat, eundem causæ Iudicem con-  
 stituendi; quod videbatur rerum conditionibus mirificè accom-  
 modatum. Simul enim Principem obstringebat ad exequendam  
 senten-



sententiam Iudicis, quam ipse postulauerat; simul etiam negotium collocabat in Theologo eius ætatis spectatissimo, ac facile principe: adeoque decisio non potuisset sperari vel directa melius à doctrina, vel commendata magis à fama: cui famæ oportebat satisfieri & propter dignitatem Pontificis, & quò sententia per venerationem id efficeret, quod per vim extorqueri non poterat.

2 Grauis tamen ea delegatio Luthero accidit; quippe tria illa mirum in modum eminebant in Cardinali, à quibus maximè Lutherus abhorrebat: Non solum esse Iudicem Ordinis Dominicani, sed eiusdem supremum fuisse Moderatorem: Ingenium obtinere usque adeò Scholasticis doctrinis refertum, vt in illis planè regnaret: Inherere tam studiosè Theologiæ à S. Thoma traditæ, vt in ea interpretanda reliquos omnes, adeoque seipsum superauerit. Verumtamen à Frederico confirmatus, plurimisque illius commendationibus communitus, Augustam se contulit; sed noluit Caietano se sistere, nisi priùs à Cæsare fide accepta: neque Cæsar eam interposuit, nisi priùs voluntas Legati sibi suboluisset. \* Hic verò, quò procliuior esset congressus, assensus est: noluit tamen assensum suum pateferi, ne hac ratione comprobaret, à profano Principe fidem porrigi reo, in causa Religionis ad Romanum Pontificem iam delata.

\* Epistola  
Cardin. Caietani ad  
Ducem Saxonie, tomo 1. Operum Lutheri.  
Tom. 1.

3 Mandauerat Leo Cardinali per diploma, cuius exemplar extat in ipsis Lutheri libris, vt cum sibi liqueret ex fama, aliisque certis indiciis, Martinum Lutherum hæreticarum opinionum fontem esse, vbi tamen hic sponte se sisteret, erroresque retractaret cum intimæ pœnitentiæ significatione, in Ecclesiæ vnitatem benignè eum reponere: sin minus, accitâ profanorum Principum operâ, eum carceri manciparet. Quòd si Lutherum in sua potestate habere non posset, illum eiusque assecras, atque eos omnes qui hominem defenderent, excepto Cæsare, percelleret anathemate; Sacris etiam interdiceret cunctas regiones ipsum excipientes, & quemcumque locum quousque ibi degeret, ac ternis postea diebus. E diuerso concessit Legato, vt cunctis sibi obtemperantibus in ea re, plenam Indulgentiam, aliaque priuilegia ac beneficia tribueret.

4 Mentitur hic Suauis, dum narrat iniunctum fuisse Caietano, vt Sacerdotia & præmia Luthero polliceretur, si de illius obedientia spes affulgeret. Hoc haudquaquam legitur inter Pontificis mandata, in ipsius Lutheri voluminibus impressa. Perinde certè id fuisset, ac ab illo licitari simulatam quamdam obedientiam, non eum flectere ad veram. Imò non tam id præ se tulisset speciem obsequentiæ

Pars I.

E

subditi



1518. subditi erga Principem, quàm concordia ac pactionis inter duos æquo iure disceptantes. Ne ipse quidem Lutherus quidquam indicat de huiusmodi conditionibus, in proluxa illius congressus narratione. In reliquis pariter Suavis historia de hac re discrepat ab eo quod hinc Lutherus, hinc Ioannes Baptista Flavius, ibi Legato ab Epistolis, referunt. Quod ostendit, illum haud satis fuisse vel diligentem in rerum notitia perquirenda, vel fidelem in proferenda; & instar Poëtæ potius quàm Historici, haud valdè laborasse de veritate.

Conuenit Martinus Legatum, à quo humanissimè, vt ipsemet fatetur, acceptus est. Si eidem credimus, tria petiit ab eo Caietanus: Vt propositiones perperam à se edictas improbaret: Vt eas in posterum ne proferret: Vt abstineret à quavis alia doctrina, Romanæ Ecclesiæ auctoritati contraria. Si Luthero, inquam, credimus: nam indicata narratio Ioannis Baptista Flauij, à Secretis Cardinali, habet, satis Legato fuisse, si Lutherus scripto affirmaret, se subdere doctrinæ quam Ecclesia Romana fideles docuerat, nullà imposita expressâ palinodiâ. Sed quoniam hoc non consonat aliorum narrationi, assensionem hac ab re cohibemus; tamen magis idonea ad notam duritatis in Legato delendam, quam illi in huius rei tractatione hominum rumor inurit.

Negauit Lutherus, prolatam à se ad eum vsque diem assertionem vllam contrariam dogmatis Ecclesiæ. Tunc duas illi Cardinalis obiecit.

Prima dicebat, In Ecclesiæ thesauro merita Christi & Sanctorum non contineri.

Secunda, Ad obtinendum fructum Sacramenti, opus esse credere Fidei firmitate, illum obtentum iri.

Adiecit Legatus, alteram repugnare Constitutioni Clementis Sexti, cuius initium est, VNIGENITVS: alteram, refelli claris Scripturæ dictis, negantis posse quempiam certò scire sibi gratiam inesse.

Respondit ad primam Lutherus, perlectam à se fuisse Clementis Constitutionem, & alteram Sixti Quarti, illi concordem: non tamen idcirco se per eas dimoueri; cum anteferenda sint Pontificum sententiis Scripturæ oracula, à quibus dissidebant in multis binæ illæ Constitutiones, prout ipse conabatur ostendere. Ceterà, Pontificum Romanorum auctoritatem haud esse falsitatis immunem, quin etiam Conciliorum censuræ subiectam esse. Ibiq̃ reuocare cœpit in medium Gersonis sententiam, recentisq̃ Synodi Basileensis. Qua in re satis aperuit, verba, quibus identidem affirmat

marat



marat se obtemperaturum Pontificis decisioni, omniq̄ue planè obsequio Romanæ Ecclesiæ sensis adhæsurum, simulationes fuisse ad tempus aucupandum, & ne plus audaciæ in eo negotio ostentaretur, quàm in præsentia opus foret. Si namque, ubi se premi sensit, Clementem & Sixtum erroris damnauit, Sedemq̄ue Apostolicam vniuersè fallacem pronuntiauit; intelligi satis poterat, idem quoque in Leonem ausurum fuisse, ubi res compulisset. Ipsemet discrete memorat, paratum se ad obsequendum exhibuisse ad speciem quamdam vrbauitatis, at obfirmato animo se numquam reuocandi.

8 Ad secundum obiectum varia protulit Lutherus Scripturæ dicta, quæ vel nobis præcipiunt fidenciam in diuina misericordia, vel tamquam necessarium cuiicumque ad Deum accedenti, vt ipsum credat se quærentes remuneraturum. Atque hoc pacto confundebat nunc Fidem cum Spe, nunc vniuersalem iudicij firmitatem de remuneratione diuina, cum peculiari de præsentī in nobis habitu dīne, qualem postulant diuinæ promissiones remunerandi quærentes Deum vt oportet.

9 Legatus optimè intellexit, neque decorum esse, neque conducibile cum eo disceptare, qui & auctoritatem Romanæ Ecclesiæ repudiabat, & eò venerat non animo subditi quo se submitteret, sed tamquam aduersarius vt altercicaretur, nixusq̄ue ingenio, quasi peruersæ affectionis patrono, noua semper effugia reperisset. Ex altera verò parte, si Cardinalis, vt accidit in actu & improuisis iētibus disputationis, rationem aliquam responsionemve minùs firmam adduxisset, Lutherus & ipsius asseclæ mille tubarum clangoribus per vniuersam Germaniam triumphum cecinissent. Quod sanè Romanæ Sedi dedecus conflasset, causæ verò aduersam opinionem apud imperitum vulgus; quod tamen summam obtinet potentia, adeoque si non iure, saltem re summum tribunal existit. Legatus igitur, graui simul ac benigno vultu subridens, declarauit se nolle cum eo contendere; sed hortari parentis modo, vt reuocaret errores, seque Ecclesiæ iudicio submitteret. Quo in sermone dulcedinem suadentis, aliquà minitantis acrimoniâ appositè temperauit; satis gnarus, tunc sanè timorem esse causam efficacissimam interiùs ad hominem permouendum, cum exteriùs honoratior adest species quâ moueatur. Et quoniam videbatur Lutherus his consiliis acquiescere, quippe qui nihil amplius reluctatus discesserat; tunc sanè Caietanus (vt cuique mos est magnam sibi efficaciam in suis suasionibus polliceri) certam concepit spem sibi hominem restituisse.



1518.

Rediit postridie ad Legatum Lutherus; sed inopinato comitatu, nimirum cum scriba publico, & quatuor Senatoribus: nec ita multò post superuenit Ioannes Stupitius, Vicarius Generalis eius Ordinis in Germania. Contestationem scriba legit, quã denuntiabat Lutherus: Nolle se vllò in articulo Romanæ Sedi obfistere; quin illi subdere quidquid dixerat, & quidquid seu tunc, seu postea dicturus esset. Addebat, Propositiones à se ad eam vsque diem assertas, probas esse, diuinisq̃ Literis consentaneas. Denique, se paratum esse id ipsum quãuis disputatione defendere; ac quieturum verò iudicio cuiuscumque Academix ex tribus Cæsareis celeberrimis, hoc est Basileensis, Friburgensis, & Louanicensis, nec recusaturum vniuersalem studiorum matrem, nempe Parisiensem.

At verò Legatus non poterat absque indignitate sui Principis cuiicumque tribunalium causam committere. Præterea satis exploratum erat, ea omnia moras esse ac diuerticula, non quò sibi satisficeret de Iudice, sed quò alius ex alio semper commutaretur, vt nullum tandem haberet: quod ex euentu postea compertum est, cum iudicium Coloniae ac Louanij, & paulò post etiam Parisiorum, damnationem Pontificis comprobantium, Lutherus tam petulanter est aspernatus. Quapropter Cardinalis hisce nugis abruptis, denudò cohortatus est vehementer hominem, vt errata retractaret, ostensã huius remedij necessitate, ad euitanda pericula quibus premebatur. Sed Lutherus adduci non poterat, vt accepto vulnere tam acerbo sanitati consuleret. Et quo pacto vsuuenit litigantibus, qui vbi causã ceciderunt, semper conqueruntur se à Iudice inauditos, quia noluisent factum sibi vmquam audientix finem, litemq̃ue diiudicatam; impensissimè flagitabat, vt causæ suæ momenta scripto consignata expenderentur, quandoquidem pridie eius diei secum Legatus satis \* digladiatus erat.

\* Verbum  
Lutheri.

Ad ea Legatus subiecit: *Fili, nec tecum digladiatus sum, nec digladiabor, aut disputabo. Charitate parentis contendis, vt ad obsequia Pontificis & Ecclesie redires; nec abnuo ex commentario cognoscere quæ à te adducuntur, vt omni ex parte tibi fiat satis.*

Nimis enim uerò arduum accidebat homini arrogantis ingenij, & qui tantum in eo negotio procefferat, palinodiam canere. Ex altera parte, dum ille non ampliùs cogitatione, sed oculis voraginem metiebatur, cuius ad oram se præcipitanter adduxerat, planè exhorruit; dolensq̃ue se eousque progressum, cupiebat pedem retrahere, dummodò terga non verteret. Hæc animi perturbatio effecit, vt eã nocte ingenij vires omnes impenderet, quò nouam aliquam



quam sibi viam aperiret, quâ suam opinionem tueretur, simulque infamiam effugeret despectæ auctoritatis Sedis Ecclesiæ Romanæ. Quare Constitutionem VNIGENITVS legens eo microscopio, quo omnes atomi non solum sub aspectum veniunt, sed migrant in species ingentes, comperit ibi affirmari, Thesaurum Ecclesiæ fuisse à Christo acquisitum. Quare die postero ad Legatum regressus, prolixum obtulit commentarium, plurimis argumentis refertum, pro more litigantis ex animi commotione: at præcipuum, & quo magis intumescebat, quasi ea Constitutio sibi faueret, illud erat, quod cum ea diceret acquisitum fuisse thesaurum Ecclesiæ à Christo propriis meritis, oportebat hunc thesaurum à meritis fecerni, ut à causa fecernitur effectus.

14 Verum nimis in aperto erat responsionis infirmitas. In primis Constitutio ait, Thesaurum donatum Ecclesiæ, fuisse acquisitum à Christo: non ait, Christum propriis meritis acquisivisse. Sed ut hoc illa asseruisset, quis ignoret vocis *merita* duplicem significationem esse, & utramque propriam, atque usitatam? Altera exprimit actum, quo meremur; exempli gratiâ actum dimicandi pro patria, exercendi Reipublicæ munia, & consimiles. Altera designat ius illud, quod inest in nobis ex vi huiusmodi actionum ad remunerationem exequendam: atque hoc sensu dicimus, multa vni homini adesse merita ad gradum aliquem obtinendum. Ius illud permanens, est fructus quidam earum actionum, quæ fluxæ sunt; atque hoc pacto verissime dicitur, à Christo per sua merita, hoc est per ea quæ passus est, fuisse acquisitum thesaurum suorum meritorum à se Ecclesiæ relictum; illud videlicet ius adeptum esse, quo apud Patrem potis est condonationem pœnæ homini debita impetrare. Hanc autem esse memoratæ Constitutionis sententiam adeo perspicuum est, ut ad eam pernoscendam sola lectio abundè sit, nisi quis per officinas de industria hallucinari velit.

15 Ex his intelligens Cardinalis, ad quæ sophismata Lutherus seu ab ingenio seu ab arrogancia adduceretur, eò firmiter in sententia persistit, in disputatione bonæ spei nihil esse, quo ille resipisceret: cum quædam ingenia minus difficulter per obsequium voluntarium auctoritati se mancipent, quàm ratione tamquam expugnata se dedant; in altero sibi indulgentia, quasi ex obtentu virtutis, ab altero abhorrentia, quasi à confessione debilitatis.

Itaque ostensâ breviter Lutheri noui fulcimenti imbecillitate, sublatâque omni quæstionum disceptatione, multus in eo fuit, ut grauius & amanter adhortando perduceret hominem ad reuocan-



1518.

da qua dixerat: iniunxitque, ne ad se rediret, nisi id perfecturus. Legatus enim existimabat, non aliud noui colloquij emolumentum fore, nisi per contentionem Lutheri ingenium acrius incendere, & ita alius in æmulatione defigere, dum in dies magis assuesceret reuerentiam erga Pontificis Maiestatem in eius Legato imminuere.

Duo manifestè peccat Suauis, vbi de his colloquijs mentionem <sup>16</sup> habet: alterum minoris momenti, dum solum duo colloquia numerat, tertio prætermissio: alterum grauius, dum affirmat à Cardinali cum contumelia Lutherum depulsum. Primi falsitas palàm fit literis Legati æquè ac Lutheri, vtrisque rem exponentibus Saxoni Septemuiro, & tria colloquia, vt à me supra recitata sunt, concorditer narrantibus. Nec minus secundi falsitas ex iisdem literis deprehenditur, atque ex peculiari etiam euentuum narratione à Luthero euulgata: non solum enim ille ne verbum quidem vsipiam facit de huiusmodi contumeliosis verbis (quæ sanè fuissent vsui ad suam causam, prouocationemque à Legato, tamquam ab iniquo Iudice purgandam) sed ait se fuisse ab eo humanissimè exceptum; eundem à se comperit in comitate alium hominem atque eius Concionatores Ordinis Dominicani, de quibus ipse conqueritur; paternam secum ab eo cohortationem adhibitam: appellat *optimum & humanissimum*. Solum queritur, conatum Caietanum fuisse, ipsum adigere ad se nondum conuictum reuocandum. At hominem conuincere, conuinci nolentem, non est in potestate vllius sapientiæ, nisi Omnipotentis. Hinc Legatus, desperato ex hac parte remedio, ad aliam cohortationem se conuertit; ad id quoque Stupitium adhibuit, apud Lutherum quàm pollentem auctoritate, quàm amicitiam gratiosum, cum & Vicarius Generalis in Germania familiæ reformatæ esset, & illi quàm maximè intimus. Sed Lutherus ingenio ac doctrinâ suo præside maior, & cum eo coniunctus æmulatione erga Dominicanos Quæstores, eundem suarum partium fecerat. <sup>a</sup> Quin etiam sunt qui velint, à Stupitio demandatam primò fuisse Luthero impugnationem Indulgentiarum, haud præuisâ ruinâ è succenso cuniculo mox futurâ. Stupitius itaque & renitentem se ostendit demandatâ à Legato procurationi, eaque haud fideliter peractâ, <sup>b</sup> Lutherum, vt idem narrat, reipsâ dehortatus est ab eo quod in speciem suadere illi studebat.

<sup>a</sup> Florimundus Remundus de Orig. hæresum lib. I. cap. 8. Spondanus in Aucto-rio an 1517. <sup>b</sup> In dicta relatione.